



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 44ra-44rb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 23 quaeritur utrum primus homo in statu innocentiae decipi potuerit.

Videtur quod sic, quia constat quod primus homo non cogit cognitiones alterius sicut nec angeli nec etiam futura contingentia; ergo si super hiis aliquis falsum sibi dixisse, deceptus fuisse.

Contrarium dicit Augustinus quod approbare falsa pro visis non est natura hominis instituti, sed postea damnati; ergo in primo statu non poterat decipi.

Ad evidentiam cognitionis Adae in primo statu sunt tria videnda: primum qualiter ad cognitionem Dei se habeat; secundum qualiter ad cognitionem rerum aliarum; tertio ex hiis apparebit quod in primo statu decipi non ponit.

Quantum ad primum sciendum quod licet primus homo Deum cognoverit alio modo quam nunc ipsum cognoscamus, tamen ipsum per essentiam non vidit secundum communem statum illum, quod patet, quia essentia divina cum sit ipsa beatitudo hoc modo se habet intellectus videntis ad divinam essentiam sicut se habet quilibet homo ad beatitudinem. Manifestum est autem quod nullus homo per voluntatem potest averti a beatitudine, quia homo naturaliter vult beatitudinem et refugit miseriam; ideo nullus videns Deum per essentiam potest ab ipso per peccatum averti. Sed constat quod Adam peccavit, ergo numquam Deum secundum communem statum per essentiam vidit, tamen ipsum Deum cognoscebat multo evidentius quam nos modo, quia cum Deus nobiliter intelligatur per intelligibiles effectus quam per effectus corporeos et sensibiles per /44rb/ quos impeditur homo in statu praesenti a cognitione intelligibilis veritatis; ideo primus homo qui rectus fuit creatus illud impedimentum in sua cognitione non habebat. Illa enim rectitudo erat illius status, ut inferiora superioribus subdantur et superiora ab inferioribus non impediretur et ideo impediabatur per illa corporalia a contemplatione et cognitione effectuum intelligibilium quam participabat ex irradiatione primae veritatis sive naturali cognitione sive gratuita; unde cognitio sua media erat inter cognitionem nostram et beatorum; sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod semper perfectum praecedit imperfectum, sicut actus potentiam maxime, si debeat habere rationem principii et quia res sunt a Deo primitus institutae non solum ut in se ipsis subsisterent, sed ut principia essent aliorum et quia homo non solum potest esse principium aliorum per corporalem generationem, sed etiam per instructionem et gubernationem; ideo sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut posset statim generare, ita institutus est quantum ad animam, ut statum posset aliquos instruere et gubernare. Non potest autem homo instruere alium sine scientia; ideo primus homo sic est institutus a Deo, ut haberet scientiam omnium in quibus homo natus est institutus et hoc sunt omnia illa quae virtualiter consistunt ipsis principiis, scilicet quaecumque homines naturaliter cognoscere possent. Ad gubernationem autem vitae propriae et aliorum non solum requiritur cognitio eorum quae naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum quae naturaliter cognitionem excedunt eo quod vita hominis ordinatur ad finem quemdam supernaturalem; unde et de superioribus tantam cognitionem habuit quanta necessaria fuit ad gubernationem vitae humanae secundum statum illum.

Quantum ad tertium patet ex dictis de deceptione. Sicut enim perfectio totius hominis dependebat ex superiori parte mentis per quam homo Deo per rectitudinem iustitiae inhaerebat illa permanere, ut dictum est Deo coniuncta, sicut non poterat in corpore esse defectus aliquis ut mors vel passio, ita



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 44ra-44rb
transcribed by Andrea Colli

deceptio non poterat esse in anima. Sicut enim dictum est supra quod homo poterat mori pro peccatum simpliciter tamen immortalis erat, quia non poterat mori nisi prius peccasset, ita ex parte animae homo quidam in statu innocentiae decipi potuit non tamen ante peccatum, scilicet nisi peccasset.

Ad argumentum dicendum quod si aliquis dixisset falsum de futuris contingentibus vel de cogitationibus cordium in statu innocentiae, homo non credidisset ita esse, sed credidisset quod possibile esset ita esse et hoc non est existimare falsum quorum scientiam non habuit vel potest dici quod ei fuisset divinitus subventum, ne in hiis deciperetur.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum Deus alicui creaturae habenti liberum arbitrium potuerit conferre quod ex condicione naturae suae peccare non posset.

Responsio dicendum breviter quod non est communicabile alicui creaturae quod secundum suam naturam peccare non posset et ratio est quia illud quod est de ratione et essentia alicuius creaturae non potest ab ea removeri ea remanente, sed de essentia creaturae habentis liberum arbitrium est ut circa ea quae ad finem sunt, possit recte agere et non recte; ideo impossibile est quod alicui creaturae conferatur ut servata libertate arbitrii sic possit conferri quod secundum condicionem suae naturae peccare non possit, quia hoc implicat condicionem. Si enim est liberii arbitrii et non potest peccare secundum condicionem naturae suae, est liberii arbitrii et non liberii arbitrii.

TEACHBOOK